





Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM JURIDICAM

De

# CAMBIO,

Permissu ac indultu

Magnifici atqve Nobilissimi Jctorum Ordinis  
IN ILLUSTRIPHILUREA

PRAESIDE

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo atqve Consultissimo

DN. PAULO FRANCISCO  
ROMANO, J.U. Doctore Celeberrimo,

Patrono, Fautore ac Præceptore suo  
maximè colendo,

*Publico examini  
exhibebit*

d. 23. Januarii, A. O. R. M DC LXVIII.

AUGUSTINUS CADESREUTERUS, Cizens.  
Autor & Respondens.

H. L. Q. C.

---

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS GEORGII.

*Sc. Prof. Al.*

REVERERENDISSIMO. SERENISSIMO.  
CELSISSIMOQVE. PRINCIPI. AC. DOMINO.

DOMINO.

MAURITIO.

DUCI. SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ. AC  
MONTIUM. POSTULATO. ADMINISTATORI.  
EPISCOPATUS. NUMBURGO-CIZENSIS. LAND-  
GRAVIO. THURINGIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ.  
SUPERIORIS. AC. INFERIORIS. LUSATIÆ. COMITI-  
PRINCIPI. HENEBERGÆ. COMITIDE. MARCA. ET.  
RAVENSBERG. DYNASTÆ. IN. RAVENSTEIN.  
UT. ET. BALLIVIÆ. IN. THURINGIA.  
PRÆFACTO.

DOMINO. MEO. CLEMENTISSIMO.  
PIO. FELIC. LINC. LYTO.

IN. DEVOTISSIMÆ. SUBJECTIONIS. CUL-  
TUSQVE. SANCTISSIMI. ARGUMENTUM. HANC.  
QVALEM CUNQVE. DISSERTATIONEM. JURIDICAM.  
EA. QVA. PAR. EST. ANIMI. HUMILITATE. AC. RE-  
VERENTIA. DICARE. ET. CONSECRARE.  
VOLUI. DEBUI.

Servulus Subjectissimus

Augustinus Cadesreuterus,  
Autor.

I. N. D. N. J. C.

**I**nvocato divino Trinitatis præsidio, ut mihi præstet bonum initium, melius medium, & optimum finem, secundum *Jason. & Dd. comm. ad Rubr. de O. N. N. L. Deo nobis. 56. C. de Episcop. & Cler. c. in nomine Domini. extr. de testib. materiã Cambiorum nobilissimam, non minus tamen difficilem ac intricatam, quam jucundam & utilem aggregior. Sit itaq̃ve.*

## CAPUT I.

### De Cambii Definitione Nominali.

§. I.

**Q**uod ad Etymologiam Vocabuli Cambii attinet, satis superq̃ve constat, illud antiquo verbo Cambire sua debere incunabula. Ea voce autem, notante *Calvino in Lexic. suo Jurid. p. m. 299.* id intelligitur, quod & *κόλλυβον* Græci, i. e. ut *Pollux Lib. 7. Onomast. c. 30.* ait, *ἀργύριον ἀλλαγῆν*, nominant. Unde alii *Lagii*, (vulgò *Lage*) nominè id permutationis genus efferre malunt, quæ est ista deductio, quam sibi *Trapezitæ* sive *Campsores* retinent, vel ob mercedem suam, vel quia sua tantum intersit, pecuniam, quam permutationis vice exhibent, potius retinere, ob monetæ varietatem. Aliis placet origo Græca, ideòq̃ve deducunt hoc vocabulum Cambii ἀπό τῆ κάμψιν, quod est flectere, eo, quod *Campsores* flectat iter ad ea loca, ubi pecuniam pro pecunia recipiendo quæstum facit: quæ tamen potius allusio, quam vera vocis derivatio vocanda. Quicquid hujus sit sive *Cambium* à *Cambiendo*, sive ἀπό τῆ κάμψιν derive-tur, rei parum decedit. Interim probabilior sententia videtur, quæ vocem hanc Latinæ Civitati ortum suum debere affirmat. Constat enim verbum *cambire* reperiri jam apud *Priscanum lib. 10. c. 2.* Unde & *Campso*, as, solebant vetustissimi dicere. Sic *Ennius in Lib. 10.* *Leucadem campfant*, i. e. permutant. Atq̃ve *Apulej. in Apolog.*

log. Ego adeo servos tu an habeas ad agrum colendum, an ipse mutuaras operas cum vicinis tuis Cambias (permutes) neque scio, neque laboro. Imò hoc ipso nomine Cambii usus etiam est Compiler Libri feudorum *tit. quo temp. miles. c. un. §. si quis fecerit 2. f. 22.* (si quis Dominus fecerit investituram, vel Cambium de beneficio sui militis &c.) & *tit. si de invest. feud. contr. fuerit c. un. §. cum 1. 2. 1. f. 4.*

§. 2. Etymologiam statim excipit *πολυσημεία*. Vocabulum enim Cambii ex numero eorum est, quæ diversis significationibus gaudent. Sumitur quippe generaliter specialiter & specialissimè. Generaliter sumptum complectitur quamlibet commutationem, etiam speciei ad genus, puta domus cum frumento. Specialiter vero notat illam permutationem, quæ fit speciei ad speciem, i. e. commutationem seu negotiationem pecuniæ pro pecuniâ, eodem in loco susceptâ. Vide sis Bald. in Feud. *tit. de Controv. investit. §. cum autem n. 1. in fin. Beroum Cons. 194. in presenti sub n. 14. Lib. 1. Jacob. de Franch. post de cis. Vincentij de Franch. q. 12. n. 9.* Deniq; specialissimè sumtum denotat commutationem pecuniæ cum pecunia in diversis locis factum. Quæ posterior significatio hoc loco inprimis obtinet.

§. 3. Homonymiam jam sequitur ordine Synonymia. Synonymum autem Cambii vix aliud reperimus, quam permutationis verbum. Et si hoc Cambio in generali significato magis quam in speciali æquipollere nemo negaverit, nisi quis dicere velit quasi & permutatio non semper nomen generale, verum aliquando & speciale sit, solam commutationem pecuniæ cum pecuniâ demonstrans.

## CAPUT II.

De

### Origine Cambii ejusque Definitione Reali.

§. I.

ANTEquam ad Cambii definitionem explicandam accessum faciam, pauca quædam de ejusdem origine & necessitate maxima cum utilitate conjunctâ, prælibare expedit. Quod itaq; primum concernit, tenendum, Cambia originem traxisse à Jure Gentium, id quod pluribus potest fulciri rationibus, quarum prima hæc est, quia permutatio est de Jure Gent. imò est omnium primus

Contra-

Contractus, docente Arist. 1. Polit. 7. & quod permutatio unius rei cum alia habuerit originem ab initio mundi; nempe ut unus daret domum pro agro, granum pro oleo, metallum pro vitulo, & demum daret id, quod sibi superesset, pro eo, quod sibi deficiebat; & quod Abraham dederit septem agnos pro puteo, & Jacob centum agnos pro parte agri ex Gen. c. 21, v. 30. & c. 33, v. 19, manifestum esse dicit Scaccia Tr. de Commercio. §. 1. quest. 6. n. 2. p. 127.

§. 2. Deinde hoc ulterius exinde confirmari potest, quia illud dicitur esse Juris Gentium, quod aequum; apud omnes Gentes servatur, §. Jus. a. civile Inst. de I. N. G. & C. Sed Cambium in omnibus regnis & Provinciis, & ubique ferme terrarum exercetur, veluti Republicae & hominum commercii maxime necessarium Mich. Sal. ad D. Thom. 22. post. q. 78. in Disp. de Camb. q. 1. art. 2. sub n. 2. vers. secundo quod. col. 2. f. 527.

§. 3. Adde, quod negotiatio & mercatura sint de Jure Gentium, siquidem apud omnes Gentes vigent: Sed Cambium est annexum quid mercaturae, & hujus gratia inventum. Ergo Cambium ipsum servabitur apud omnes Gentes, atque ita id de Jure Gentium esse nemo negabit. Plures quae hic possunt addi rationes, vide apud Sigism. Scacc. in suo Tr. de Commercio. §. 1. q. 6. f. 128.

§. 4. Secundum quod attinet, Cambia inventa deprehenduntur propter numismatum diversitatem; Nec enim omnia numismata ubique reperiuntur, & quae reperiuntur uno in loco, non expenduntur quandoque in alio, & ideo inserviunt ad res uno loco comparandas, & non in alio.

§. 5. Quae numismatum varietas induxit necessitatem cambiendi, id est pecuniam pro pecunia commutandi. Nam quemadmodum maxima cum necessitate conjunctum est, panem, potum, vestitum aliaque necessaria comparare: Ita ex consequenti necessarium nobis, pecuniam, quae ad id nobis deserviat, quaerere. Hanc autem invenimus vel res nostras pro pecunia vendendo, vel pecunias nostras, quae non ita ad necessaria nobis emenda inserviunt, pro alia commodiori nobis pecunia permutando. Vid. Medin. in suis Tr. Tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 7. vers. verum quoniam. col. 3. f. 366, atque ex eo id referentem Scacc. Tr. de Commercio. §. 1. q. 7. n. 7.

§. 6. Successu autem temporis ipsum Cambium pro mercatura

catura cœpit ordinari, & converti in mercaturam & negotiationem lucratoriam ad faciendum quæstum, idq; in insignem Reipubl. utilitatem, ne scil. câmbiendi occasio unquam deficeret. Aliter vero Cambii negotiatio non poterat institui, nisi ex seipsâ quæstum faceret, quia homines eam aliter non exercerent, quotquot enim artes sunt, omnes ab hominibus ad proprium bonum exercentur, licet ad Reipubl. utilitatem sint institutæ.

§. 7. Hinc illi non sunt audiendi, qui artem Campsorianam ut illicitam & malâ damnant & repudiant, propterea, tum quod accipientes Cambio videantur tendere ad dilapidandum: ut proinde verum videatur dictum illud: Chi si Cambia non è il medesimo, & chi si marca, resta segnato; tum quia dantes cambio versentur in periculo salutis animarum, cum aliquando sub colore Cambii usurariam exercent pravitatem.

§. 8. Nam prædicta vitia non esse in arte Campsoria, sed esse in iis, qui acceperunt Cambio ad pravitatem & luxum in explendis propriis voluptatibus, & in iis, qui dant Cambio illicito ad augendas divitias, rectissime respondet sæpius laudatus Scacc. in d. Tr. §. 9. q. 6. n. 15. quem vide.

§. 9. Ex quibus omnibus jam colligere licet, artem Campsorianam utiq; esse licitam, etiam iis, qui sub vexillò Christi militant. Id quod ex abundantia probant *Comrad. de Contract. q. 99. in 7. & 8. Concl. & Medin. in suis Tr. tom. 7. Tit. de reb. per usur. acquis. q. 5. col. 3. vers. quibus præmissis. f. 360.* & quod Cambium per se sit licitum, nisi aliundè sædetur, confirmat etiam ex sententia D. Thomæ, relatis ejus propriis verbis, *Hieron. de Luca Tr. de Camb. in verbo: pro decisione, n. 7. & seqq.* quin, quod ars Campsoria honestè possit exerceri sine peccato, & sit approbata de Jure Civili, dummodo in ea non interveniat fraus vel dolus, aut nimius excessus lucris, concludit *Anton. de Rosel. Tr. de usur. n. 68. & 69. tom. 7. f. 69.*

§. 10. Remotis iis, qui Cambia negant esse licita: ad eorum Definitionem jam pergimus. Quomodo autem Cambium sit definiendum, de hoc non una est Jctorum sententia: Quæ omnes si adducendæ essent, vel integer tractatus non sufficeret. Vide de iis prolixè differentem sæpius cit. Scacc. d. Tr. de Commerc. §. 9. q. 4. n. 4. & seqq. Missis igitur ejusmodi prolixitatibus, Cambium cum



cum Dn. Struv. *Synt. agm. J. C. Exerc. 25. th. 40.* hunc in modū definimus: Cambium (ein Wechsel) est Contractus, quo ita permutatur pecunia, ut pro pecunia alio certo loco alia pecunia æquivalens, interveniente aliqva mercede detur.

§. II. Dicitur Contractus, quia est conventio obligationem efficacem suapte vi producens. Cum autem Contractus & Nominati & Innominati dentur; dico Cambium esse Contractum Innominatum, non quod nomine aliqvo omninò careat, sed quod unius negotii nomen non solum habeat, atqve ad multa negotia unica appellatione pertineat, nulla prodiã singulari pro negotio actione, *L. 7. §. 2. ff. de pact. L. 1. ff. de P. V.*

§. 12. Itaqve Cambium pro mutuo habendum non est, quoniam illud visum est quam plurimis *vid. Raph. de Turry. de Cambio disp. 1. q. 1. est. 7.* Præterquam enim quod hoc contractus sit nominatus, differt ipsum à Cambio adhuc quatuor potissimum modis: I. Periculo; nam mutuuum periculum mutuatae sortis in accipientem, & Dominum transfert *L. fin. ff. de condict. caus. dat.* Cambium vero Reale damni periculum Campsori relinquit, si minus sorte remittens accipere debet, *Modest. Pistor. I. q. 57.* II. Diversitate rei constituendæ & loci. Nam in Mutuo res ejusdem generis & bonitatis restituitur, & in eodem ferè loco *L. 2. §. 1. ff. de reb. cred. & L. 3. ff. eod.* in Cambiis autem realibus fit permutatio monetarum diversorum generum, & in diversis semper locis. *Raph. de Turry. de Camb. Disp. 1. q. 2. n. 15.* & sparsim. *Martin Voigt. de Camb. th. 2. ubi in lit. q. addit, diversitatem locorum esse de substantia hujus Contractus.* III. Modo Contractus. Nam in Cambiis realibus est Contractus similis venditioni, dum Ducatus venditur Bazzis, Grossis, Marcis vel Solidis, & aestimatur una moneta ad aliam, *Pyrrh. Maur. Aretin. Tr. de solution. c. 53. n. 2. Decis. Rot. Genov. 1. n. 42.* quod fieri posse patet ex *c. olim causa. c. cum canonicis. extr. de censib.* In mutuo vero hoc omninò cessat. IV. Quod mutuans prius dat, & postea accipit, sed accipiens ad Cambiū semper ferè oppositum facit, primò recipit, & postea dat, & sic ex parte ipsius accipientis non est mutuuum. *Bonins. ubi sup. Fab. Gen. Tr. de Camb. part. 2. c. 5. n. 55. vers. nec certum.* Taceo alias disconveniētiās, quæ inter mutuuum & Cambium intercedunt: Si quidem illæ legi possunt *ap. Scacc. d. Tr. §. 1. q. 4. n. 5. & seqq.*

§. 13. Deinde Cambium quoque hac ratione differt à Permutatione, quia ea generatim significat omnem Contractum onerosum, ut supra dictum: Cambium autem illum saltem Contractum denotat, quando pecunia cum pecunia permutatur. Caterum in permutatione res quælibet, quæ est in Commercio, datur ita, ut ob rem datam vel pro re illa teneatur accipiens vicissim rem, de qua convenit, quamlibet dare, *L. 1. pr. ff. de rer. permut.* Secus est in Cambio, ut cuius rem examinanti ad oculum patet.

§. 14. Nec Cambium cum emptione & venditione convenit, ut *Joh. de Anan. in c. ult. naviganti, sub n. 46. 47. de usur. Bonif. seg. Tr. de Camb. c. 6. vers. ne anco & vers. presupposito. Fab. cod. Tr. part. 2. c. 5. n. 56. f. 416.* statuunt, quorum postremus Cambium judicat esse Contractum emptionis ex parte Camporis, & venditionis ex parte accipientis Cambio, & sic pecunia ejus, qui dat Cambio, est pretium; & pecunia, consignanda postea in Civitate Placentiæ seu Romæ ab eo, qui Cambio accipit, est res empta & vendita, atque ita concludit ead. parte *2. c. 7. num. 62.* Quodque Cambium differat à venditione solâ materiâ, quia non versatur, nisi circa pecunias, scribit *part. 1. num. 1. in fin. f. 411.* & quod Contractus Cambii habeat eandem differentias & qualitates, quas habet Contractus emptionis & venditionis, scribit *Joh. Nid. Tr. de Contr. mercator. c. 1. sub n. 4. tom. 6. p. 1. f. 288.* additque rationem, qui enim dat ad Cambium, emit pecuniam absentem currenti pretio fori, & ille, qui accipit ad Cambium, vendit pecuniam absentem pro presenti, juxta fori æstimationem. Sic quoque judicat *Cayd. Cajet. Tr. de Camb. c. 7. sub num. 2. 3. & 4. tom. 6. part. 1. fol. 407.*

§. 15. Verùm res salva est. Contrarium enim conspicitur ex eo, quod pecunia sit invendibilis, ut docet *Laur. de Rodulph. in c. consuluir. part. 1. q. 32. n. 14. de usur. inter Tr. di. vers. tom. 7. f. 23.* Et quod pecunia vendi & emi non possit, deducit argumentando in alia questione *Joh. Azor. de Inst. moral. part. 3. Lib. 10. tit. de Camb. c. 3. q. 1. & non esse contractum venditionis scribunt Mich. Sal. D. ad Thom. 2. 2. post. q. 78. in Disp. de Camb. q. 1. art. 1. num. 4. vers. ex his, tom. 2. f. 574. & art. 2. sub num. 9. vers. demq. f. 530.*

§. 16. Confirmatur hæc opinio, quia quando hinc inde præstatatur pecunia, ibi non videtur posse esse venditio, cum, quæ earum sit

fit merx seu res vendita, & quæ ipsarum sit pretium, discerni non possit, & par aptitudo sit in utraq; pecunia, nec ipsa ex partium voluntate immutari queat. *Anton. de Rosel. Tr. de usur. n. 43. vers. tertio probatur. tom. f. 68.* Atqui in Cambio datur numisma, & accipitur numisma. Taceo quod in emptione nulla fiat ejusmodi loci mutatio, qualis in nostro Cambio requiritur, de quâ vide apud Raph. de Turry.

§. 17. Ergo remanet utiq; Cambium esse Contractum Innommatum DO UT FACIAS, ut idem sentit *Card. Cajet. Tr. de Camb. c. 3. n. 1. tom. 6. part. 1. f. 405. Navarr. sub n. 9. vers. unde primum. & latius sub n. 21. vers. hic Contractus. & n. 22. de usur. quem uti optime docentem, citat Mich. Salm. ad D. Thom. 22. post. q. 28. in Disp. de Camb. q. 1. art. 1. sub n. 4. vers. deniq; in fin. tom. 2. f. 525.* Quam sententiam amplector, nihil curans, quod ipsam Vir cæteroquin doctissimus, & his in rebus exercitatissimus *Mich. Sal. in Disp. antea adducta* non probet: Mihi enim sufficit, quod communem esse testetur *Berous Conf. 194. in presenti n. 14. Lib. 1.*

## CAPUT III.

### De Cambii Divisionibus.

#### §. I.

Cambium dividitur (1.) ratione Justitiæ in licitum & illicitum. Licitum dicitur, quod habet undiq; Justitiam commutativam, sicuti ad eandem pertinent Contractus emptionis & venditionis & similes; ideoq; necesse est, ut in eo servetur æqualitas dati & accepti *Medin. in suis Tr. tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 5. vers. Verum. col. 4. initio. f. 361.*

§. 2. Exemplum hujus justitiæ Commutativæ in Cambio observatæ tale est; Ut Justitia commutativa Contractus Cambii constet ex pluribus, nempe ex numismatibus in numero, pondere, & bonitate tam intrinseca, quàm extrinseca, ex labore, impensis, periculò & industriâ, æstimandum est, ita, ut omnium sit habenda ratio, & omnibus hinc inde compensatis, remaneat æqualitas, &

B

utri-

utriusq; excludatur damnum. Et quamvis Cambium monetæ vi-  
 lioris valoris, ratione materiæ imperfectioris, cum monetâ, quæ sit  
 majoris valoris ob materiâ puriorem, sine compensatione ha-  
 beat injustitiam, quia non servatur Justitiæ æqualitas; quoniam ta-  
 men aliqua ratione compensatur ille excessus, ut labore, seu indu-  
 stria Camporis, idè inæqualitas omnis tollitur. *Com. ad. Tr. de Con-  
 tract. q. 99. Concl. 5.* Nullum autem lucrum aut pretium justius es-  
 se posse autumo, taxato & æstimato publica autoritate. Ad prin-  
 cipem enim & Magistratum spectat, pretia rerum definire *L. 1. Si  
 cur. ff. de off. Præf. Urb.*

§. 3. Cambium illicitum est, quod habet inæqualitatem, & sic in-  
 justitiam commutationis & excessum; & sub isto comprehenditur  
 etiam Cambium siccum, quod nihil aliud est, quam ejusmodi, in  
 quo solius temporis Compensatio quæritur, estq; reapse mutuum  
 potius quam Cambium vocandum, neque enim in eò interveniunt  
 literæ Cambii realiter & in effectu. *Rot. Genuens. dec. 37. n. 11.* Ex-  
 emplum ejus tale esto: Sempronius tenens magnam pecuniarum  
 summam; in suâ cistâ, ex illis dat Mœvio 1000. florenos, sub nomine  
 Cambii, ab eoq; promissionem impetrat, quod ratione istius Cam-  
 bii solvere velit ipsi Sempronio singulis nundinis 30. florenos, do-  
 nec restituerit ei integrum Capitale 1000. florenorum in eodem  
 loco, quo pecunia data est, & ulterius facit eidem Sempronio lite-  
 ras Cambii, quæ tamen in locum alium non mittuntur. Ex quo  
 Exemplo apparet, illud augmentum ultra sortem procedere solum  
 ratione temporis, idèq; esse usuram, & per consequens Cambium  
 illicitum contrahi; Atque hoc casu illud *Sigism. Scaccia* improbum  
 injustumq; audit, diciq; id siccum putat propterea, quod careat hu-  
 more seu justo titulo, ad legitimos fructus ferendos. §. 1. q. 5. n. 101.  
 quodq; tanquam usurarium prohibitum à Pio IV. Pontifice in *Consti-  
 de An. 1564.* & post eum à Pio V. in sua *Decretali An. 1571.* edita, quæ legi  
 potest in *cap. un. libri septimi Decret. lib. 2. tit. 15. de Cambiis.* Adde Bullam  
 118. inter ceteras Pij V. tom. 2. Bullarij novi. De eâ multa legi possunt  
 utilia præsertim quoad hæc Cambia sicca apud *Rovirum consilio 103.  
 Salas. de contract. tract. de Cambio dub. 5. Bolanno de Commere. l. 2.*

c. 2. n. 33. *Carlevalium Disputat. var. juris l. 1. tit. 3. Disputat. 8. sect. 7. per rot.*

§. 4. Cambium licitum rursus vel minutum, vel reale, facere solent: Illud est, quod alii purum appellant, atq; in solâ monetæ minus commodæ, cum alia meliore & magis expendibili, permutatione consistit, ita tamen ut Campfor aliquid lucretur; fitq; hoc Cambium sine literis, nec alia diversitas ibi concurrat, quam numismatum, quæ permutantur, *Thom. de Vir. de Camb. c. 2. n. 4. e. g.* si quis debeat 30. aureos florenos in specie, eosq; non habeat, habeat autem eorum valorem in alia moneta, pone minuta, Creditore verò monetam hanc accipere recusante, potest dictos 30. florenos aureos in specie sibi per viam Cambii minuti, permutando pecuniam, cum 30. aureis, lucro aliquo penes Campforem, i. e. eum, qui dat, manente, petere vel comparare. Aliud Exemplum poni potest in eo, qui vult proficisci ad loca remota, & cupit secum pecuniam deferre pro suis necessitatibus; habet autem solum monetas argenteas, quarum pondere nimis onerâretur, quæque in locis exteris aut non expendi possent, aut minus valerent. Itaque propterea eas permutat cum moneta aurea, quæ minor est, & ubiq; locorum valet. Sed hæc species propriè ad hunc tractatû non pertinet; velut jam supra monuimus.

§. 5. Cambium verò reale, de quò in præfentiarum imprimis agimus, tunc celebrari dicitur, quoniam literæ interveniunt. Posset etiam illud non malè fortassis impurum s. mixtum appellari, quia in eò semper intervenit diversitas loci aut temporis, ex quâ diversitate oritur mixtura Contractus, nempe mutui taciti, prout idem Contractus mutui taciti intervenit in Contractu emptionis & venditionis ad terminum; hoc autem mutuum tacitum quandoq; intervenit in Cambio ex parte Campforis; cum sc. Campfor prius sua numismata tradit, solutionem postea recepturus: quandoque vero intervenit ex parte Campsuarii, quando sc. Campfor prius pecuniam à Campsuario recipit solutionem alio in loco seu tempore facturus. Prioris Exemplum est, si Titius Campfor det Lipsiæ 100. Ducatos Sejo, solutionem ad Terminum designatum.

Numburgi, vel alio loco recepturus; Posterioris Exemplum huiusmodi sit: Norimbergæ Titio Campfori à Sejo Campfuario Augustano, qui Venetiis pecunia indigebat, dati sunt 100. Imperiales: Campfor Norimbergenſis illi dat suam Schedulam, per quam Factor seu Minister Campforis cum certa pecuniæ summa, puta 95. Imperialibus, retentis loco provisionis, ut vocant, seu Lagii, quinque; ipsi Campfuario satisfaciat loco 100. quæ ipse Campfor Norimbergæ acceperat. *Vid. Disp. Jurid. Basileens. Vol. 1. Disp. 15. th. 127.* Quamquam verò hanc speciem nonnulli à Cambio impuro seu mixto distinguere volunt, dicentes, quod illud fiat cum literis, hoc sine literis, adde *Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de rebus per usur. acquisit. quest. 5. col. 2. vers. pro quo advertendum &c. fol. 360.* magis tamen recepta est opinio Sigismundi Scacciæ, quod, cum Cambium & reale & mixtum fiat de pecunia præſenti cum pecunia absente, atque sic de loco ad locum, neutrum sine literarum interventu atque ope commodè expediri possit. Unde etiam utrumque illud Cambium per literas communiter appellari, *idem affirmat tr. de Commerc. §. 1. quest. 5. n. 2. seqq.* Ubi hoc ulterius in simplex & nundinale dispescit.

## CAPUT IV.

DE

## Personis hunc Contractum incuntibus.

§. I.

Vidimus hætenus Definitionem & Divisionem Cambii: Dicendum nunc erit, quot & quænam personæ Contractum hunc inire possint. Quod si ergò eum penitiùs inspicio, ad naturam illius tres potissimum personas requiri deprehendo: nimirum (1.) opus est iste, qui pecuniam per literas transferendam seu transcribendam in se recepit, & hic dicitur Campfor, qui & Collybista ahdit, à Collybo, quæ est illa merces, quæ datur Campfori pro illa permutatione *Corvarr. d. Tr. de Vet. Collat. numism. c. 7. sub n. 4. vers. hæc sanè ratione. f. 507. & Job. Bapt. Lup. d. c. naviganti. §. 2. n. 6. de usur. inter Tr. divers. tom. 7. f. 137.* seu datur pro detrimento pecuniæ, & dicitur

citur vulgariter perdita de Laggi. *Stracch. Tr. de Merc. part. 1. n. 68. tom. 6. part. 1. f. 188.* Vocatur etiam tractans, traffans vel trahens, à tracta nimirum s. tratta, quæ est illa pecuniæ quantitas, quæ literas offerenti debet exsolvi ab eò, cui ipsæ sunt oblatae.

§. 2. (2.) Is, qui solvit eam, vel promittit solvendam, ut ita transcribatur, qui vocatur Remittens. Remittit enim summam suam in locum ab eò remotum, in quo eam solvit. Hinc summa ista, quæ in loco destinato ipsi debet porrigi, remissa dicitur. Porò vero si non ipse Campsor Institore (eimen Factor) habeat in isto loco, ubi pecunia exsolvenda, accedit (3.) & is, qui literas Cambii (den Wechselsbrief) acceptat, vulgò Campsuarius s. acceptans dicitur, qui requirit pro Cambio; Nam Campsor est ille, qui requiritur, & hic dicitur cambire, Campsuarius autem cambire non dicitur, qui requirit. *Courad. de Contract. q. 99. in 2. supposit.*

§. 3. Addunt alii (4.) eum, qui isto in loco exigit pecuniam transcriptam. Verùm hic idem videtur esse cum eo, qui exsolvit pecuniam, quippe qui vel ipse, vel per mandatarium aut cessionarium eam deinceps exigit. Exigendo autem nullum iniri Contractum satis manifestum est. *Conf. Stypm. de Jur. marit. & naut. part. 4. t. 8. n. 21. & seqq.*

§. 4. Quoniam vero Exempla rem illustant, idèd ut jam dicta de personis ad Cambium pertinentibus eo melius patecant, unicò rem omnem in præsentiarum magis perspicuam reddere fert animus. Titius e. gr. numerat Cajo pecuniam Lipsiæ, ut eam transcribat pro certo pretio Hamburgum. Cajo conficit literas ad Sempronium Institorem suum Hamburgi habitantem cum mandato, ut eam Titio vel ejus Mandatori solvat. Hoc casu si Titius ipse recipit pecuniam, tres; si ejus Mandatarius, quatuor interveniunt personæ, quæ tamen quarta persona solum vices ipsius solventis sustinet, atque ut jam dictum, novam ad hoc negotium necessariam, revera non efficit. Hic jam illud præcipue Dd. quærunt, num Mulieribus permillum sit Cambia contrahere? sanè licet non ignorem quam plurimos eas ut inidoneas à commercio Cambiorum repellere, magis tamen placet opinio affirmantium. Nihil enim refert,

masculus an foemina sit institor l. 7. §. 1. ff. de instir. act. l. 32. §. 4. ff. de auro & arg. leg. Et quantum quidem ego novi, nullius populi mos facile contrarium feret. Quod ipsum calculo suo quoque comprobavit Rota Gen. Decis. 28. num. 4.

§. 5. Aliter vero comparatum est cum Magistratibus, Clericis, Nobilibus & pari passu cum his ambulatibus Doctoribus. Hos enim omnes cambia imprimis lucrativa quae vocant, minus decent, praesertim cum ipsa Honores ejusmodi atque auctoritatem, non parum minuunt, quae illis annexa esse debet. Hinc Aristot. 3. pol. 3. commemorat, lege receptum fuisse apud Thebanos, ne quis ad honores idoneus haberetur, qui intra decennium mercaturam fecisset. Certè de Clericis, Nobilibus & Doctoribus jura adsunt clarissima in can. 10. dist. 88. l. 3. C. de commerc. & mercat. l. 12. §. 3. C. de cohort. Lib. XII. l. 7. C. de incest. nupt. l. 1. C. de natural. liber. junctâ Ord. Polit. de Anno 1577. tit. 12. & Ordin. Camer. p. 1. c. 43.

§. 6. Tandem de Saracenis & infidelibus notandum est, quod cum iis Cambiū facile inire nō possumus. Praesertim tempore belli. Eō enim indistinctè prohibitum est cum istis commercium. Vid. Cap. quod olim & cap. significavit extr. de Judais & in eorum odium Christianus, qui cum iis negotiatur, transportando ad illos merces vel pecunias, est excommunicatus, ejusque bona publicantur, atque efficitur servus illius, qui eum capit. Hoc tradunt Stracch. Tr. de Mercat. part. 2. num. 40. & seqq. Soto de J. & J. Lib. 6. q. 2. art. 2. col. 4. f. 566. imò qui Turcis, & fidei inimicis vendit arma, ferrum, pulverem, ligna, & alia ejusmodi, quae ad bellum necessaria sunt, vel, quod perinde est, pecunia eos juvat, peccat graviter, inquit Card. Tolet. de instruat. Sacerd. Lib. 8. c. 53. de negotiatione vers. tertio ratione. Ut ita Christianus sibi omninò cavere debeat, ne cum ejusmodi infidelibus Cambium sic contrahendo in commune bonum peccet. Vide pluribus hac de re differentem Conrad. de Contr. act. q. 51. Concl. 1. Quod si tamen pacis tempore necessitas usque omninò postulet, ut Cambia vel alia commercia cum iis exerceamus, remissiores aliquantisper ac faciliores esse possumus. Quod etiam revera fieri ipsa experientia testatur.

CAP.



## CAPUT V.

De

## Cambii Materia Formâ &amp; Fine.

§. I.

JAm deveniendum ad Cambii materiam, quæ est utrinque pecunia seu numismata, cujuscunque generis illa sint, ita sc. ut tuto & sine periculo, ac sine molestia in hoc loco certa quantitas solvatur, & eadem alio in loco restituatur. *add. Sigism. Scacc. d. Tr. s. 1. q. 4. n. 19.* Ubi simul obiter notetur, quod in materia Cambiorum quælibet promissio facta in Banco, cedat loco solutionis, ut tradit *Decis. Genov. 4. num. 9. & 10.*

§. 2. Formam quod attinet, illa duplex est: Generalis & specialis. Ad illam diversitas pecuniæ spectat. Hanc vero formam Cambii realis non modo diversitas pecuniæ, sed & loci & temporis, per consequens & literæ denique constituunt, ita ut ad Cambii complementum & formam requiratur, ut tractans remittenti tradat literas Cambii ad locum solutionis, cum duplici expressione summæ solvendæ, addito die (quod tamē non semper opus esse judicat *Stryman. d. Tr. c. 8.* cum diei adjectio non sit de substantia actus, nec ideo adiciatur, ut rei gestæ cōstet veritas, sed ut probatio apertior sit *arg. L. 3. c. de Transact. Scacc. de Commerc. §. 1. gl. 1.* Hinc neq; acceptans propter omissionē diei, neq; dans, si literæ cum protestatione revertantur, recusare solutionem possunt. Sicut nec Mandatarius, ideo, quod scribens in assignatione diei vel termini errorem commiserit, solutionem detrectare, sed tuto in loco transcripto solvere potest; tempus enim non est de Substantia actus vel solennitate Scripturæ, sed sufficit, quod rei veritas alio modo haberi non possit *arg. L. 6. §. 1. ff. de off. Præsidi.*) & loco, quo datæ fuerint, imò & die, quo sunt solvendæ, cum causa earundem, præsentandas per eum, cui sit remissa, ei, cui sit tracta; quos etiam per literas Avissii de tractis & remissis certiores fieri oportet.

§. 3. Quot modis autem has literas Mercatores conficiant, non est usque quaque expeditum. *Lal. Zechius de usur. cap. 9. num. 11.*  
tradit

tradit septem, *Morl. in Empor. Jur. part. 1. q. 25. n. 48. Nic. de Passerib. de Privat. script. q. 8. n. 31. tres.* Ego hanc rem in medio relinquo, eamque ad Mercatores remitto, quippe, qui præ cæteris accuratam ejus notitiam habere solent.

§. 4. Ne tamen penitus hic taceam, experientia edocuit & communi sermone, hoc saltim addo, quod literæ Cambii à Campsioribus plerumque ita conficiantur, ut vel ratione termini solutionis, vel ratione numeri literarum diversimode concipiantur. Priori modo vel tempus solutionis differtur; vel ad momentum dirigitur, ut purè & in continenti fiat solutio. Posteriori modo, quod vel unæ, vel alteræ, si priores literæ amissæ sunt, mittantur. Hinc ea solet esse earum forma:

Laus Deo Anno 1668. Adi 2. Januar.  
in Magdeburg Thaler 1000.

In teziger Leipziger Neuen Jahrs Wochs beliebe dem Herrn diesen meinen (sola prima, secunda &c.) Wechsel Brieff von tausend Reichsthaler (avista, oder Aufficht) (quæ verba ad momentum & in continenti exposcunt solutionem) (à usfo, oder 14. Tage Nachsicht) an Herrn N. N. oder Commis. zu bezahlen/den Werth alhier bin ich vergniget/thut gute Zahlung/und stellers auff Rechnung (conto) laut adviso. (Verba hæc se revocant ad literas intimationis, quæ præter Cambiales ad eum, qui solvere debet, cum mandato, vel petito, ut Cambii literas oblaturo, & secundum eas pecuniam exacturo satisfaciatur, mitti solent.) Gott empfahlen.

Des Herrn

Dienstw.

N. N.

Vel brevius hunc in modum:

Es beliebe dem Herrn diesen meinen Wechselbrief von 200. Reichsthaler/sage 200. Rthaler an N. N. zu bezahlen/den Werth alhier bin ich vergniget/thut gute Zahlung/und seker es auff Rechnung.

§. 5. Aliquando præter literas Cambii solent etiam mercatores ad Mandatarium, qui solvere debet, literas intimationis, quas vocant, lettre d'Aviso, mittere, quibus significant ad fore aliquem

quem, qui literas Cambiales oblaturus, & juxta eas pecuniam exacturus sit cum petitione, ut illis satisfiat. Quæ verò earum sit formula in Vernacula nostra, *vid. ap. Stypm. alleg. Tr. part. 4. c. 8. num. 66. & seqq.*

S. 6. Hic aliqua intricata suboritur quaestio, quam *Schaffh. d. l. th. 28.* sequentem in modum proponit: Tullius Numerat Norimbergæ Francisco Campfiori 500. fl. qui conscriptis protinus literis detracta provisione sua, eos Romæ à Petro reddi jubet alicui, cui nomen Marco. Tullius literas quas accepit, ut moris est, includit Epistolæ, quam vocant *d' Aviso*, ad Marcum eâ fini scriptæ, ut dictos 500. flor. exigat. Hæc Epistola projicitur in locum solitum literarum deferendarum à tabellario publico, atque intercipitur in itinere à quodam ignoto, qui simulato Marci nomine 500. fl. à Petro repetit. Tullius ignorans literas esse solutas, atque admonitus postea & rogatus per Marcum de transmittendis Cambii literis, quippe quarum nulla ipsi copia adhuc facta est, mittit ei secundas, quas à Campfore acceperat; Marcus acceptis secundis literis compellit Petrum de solutione, qui respondet se jam dudum istam summam exsoluisse: Quæritur itaque, quis hujus summæ faciat jacturam, & num Petrus secundâ vice ad ejus solutionem compelli queat? Et dicendum utique est, quod Petrus in causa fuerit, atque aded ad damni hujus præstationem teneatur, tum quia mandati fines excessit, & falso Creditori solvit; qui autem alii, quam vero Creditori solvit, nunquam liberatur. *L. 24. ff. de negot. gest. L. 38. §. 1. ff. de solution. l. 19. C. de furt.* tum quia scire, tales casus sæpè inter mercatores obvenire, atque ideo diligentius in Marci personam inquirere debuit, an verus Creditor sit nec ne. Quoniam vero id neglexit, suæ socordiae ac culpæ propriæ damnum hoc imputare debet. *Sigism. Scacc. Conclus. l. 1. de commerc. & camb. §. 2. Gloss. 5. n. 347.*

S. 7. Hæc de Forma; Sequitur Finis, qui & ipse duplex statui solet: Primarius nempe atque Secundarius. Ille est commune Mercatorum bonum, quod gentium elementum esse *Arist. 7. Polit. c. 8. & 9.* afferit, quò scilicet facilius mercimonia exerceri possint; undè ipsi etiam tot singularibus atque à Jure communi exorbitantibus gaudent

dent privilegiis *Mr. le Bret. de la souverain. du Roy. de Tr. Liv. 4. chap. 13.* Et sanè sublatâ hâc compendiosissima via, qva sine magno periculo, modicis impendiis, beneficio scil. literarum Cambii, pecuniâ ad quæcunqve loca transcribuntur, Commercia vix exerceri possent, ob varia belli pericula & rapinas. Imò & pacis tempore pecunias ad quæcunqve loca transportari, non tantum magno cum incommodo, sed & ingenti cum damno, propter varios fortunæ casus, sæpè conjunctum foret. Ut sumtuum atqve expensarum taceam incommoda, quæ tunc essent faciendâ, *vid. Lup. de usur. Comment. 3. §. 2. num. 14.* Quin imò Cambia peregrinantium quoqve itinera, & Captivorum redemptionem mirum in modum sublevant, & Magnatibus ad bella, & quævis magna gerenda valdè conducunt. Hinc Reipubl. ita necessaria & utilia sunt, ut iis cessantibus, omnia penè mercatura officia dissipari & destrui sit necessum, ut scribit. *Nav. irr. Conf. 31. re. reverendiss. vers. tertium notabile. vers. fin. Libr. 5. de usur. & in man. confess. c. 17. de usur. circa Cambia n. 296. Calder. tit. de usur. Conf. 11. mercat. Januensis. propè fin. quibus præ aliis adjungas velim Johan. Azor, Instit. moral. part. 3. Lib. 10. de Camb. c. 3. q. 1. & Sigism. Scacc. d. Tr. de Camb. §. 1. q. 6. per tot.*

§. 8. Finis Secundarius Cambii est lucrum honestum, quod mercatores ex numismatum commutatione sperant, quod lucrum ipsis non est invidendum, dummodò fines honesti quæstus non transfiliat; Tunc enim Cambium audit injustum: De quo supra in Divisionibus Cambiorum c. 3. §. 3. pluribus actum.

## CAPUT VI.

De

### Obligatione & Actione Cambiorum.

§. 1.

Videamus nunc Effectus, qui Cambia sequuntur. Sciendum itaqve est, quod is, qui pecuniam, alio loco solvendam recepit, id præstare obligetur, adeò, ut ante solutionem à Campsuario factam nullo modo liberatus dici possit, etsi literæ ab eò acceptatæ fuerint.

Quam

Quam opinionem pluribus confirmat *Statilius Pacificus de Interdicto Salvo. Inspect. 1. cap. 7.* ubi ita Romæ quoque coram Illustri Ludovico judicatum atque *arg. l. 21. ff. de novat.* decisum fuisse refert, quod semper ad effectum liberandi Trapez. solutio requiratur. Ille, verò cujus utilitatis causa pecunia ita permutatur, solidam mercedem solvere cogatur Campsori, quæ vocatur Collybus seu symbola Collybistica (das wechsel Geld) tum propter sumtus, quos in ministros suos alibi degentes impendit, tum propter fastidia conscribendarum literarum, & solutionis alibi faciendæ onera. Labor, enim nõ vilioris est pretii, quàm pecunia *L. 5. §. 1. L. 29. ff. pro socio:* imò aliquando pretiosior, ideo licet pro industria præmium petere atque accipere *L. 4. ff. locat. L. 1. §. 5. ff. de extr. ord. cogn. præsertim cum sollicitudo magni æstimetur arg. l. 4. ff. ad Sc. Trebell. & periculum pretio atque interesse par censetur L. 4. L. 5. ff. de navt. favor.*

§. 2. Præterea quoque & is, qui literas Cambii acceptavit, vel statim, vel expressò in istis literis tempore pecuniam alteri in loco destinato, solvere tenetur; idque secundum rationem & stylum: Chi accetta paghi, qui acceptat solvat, wer acceptiret musß zahlen. Ex pura etenim acceptatione fit acceptans debitor præsentantis. *Rot. Genov. decis. 168. num. 2.* quia ex tali acceptatione, ut dictum, oritur obligatio. Nam perinde est ac si solenni stipulatione ad solutionem quis se obstrinxisset. *Rot. Genov. decis. 104. num. 9.* eaque ritè facta, respectu mandantis Obligatio mandati; respectu vero acceptantis quædam veluti Fidejussio seu constitutum Contractum, censetur: prout hoc latius demonstrat *Voigt. Tr. suo analyt. de Camb. th. 7. p. 128. vers. 4.*

§. 3. Dicuntur autem tunc desum literæ Cambiales acceptatæ & approbatæ, quando sunt lectæ, receptæ, atque in contrarium protestatum, ut loquuntur, minimè fuerit *Dn. Marquard. de jure merc. Lib. 2. c. 12. n. 48. & seqq. Corser. in singularib. vers. taciturnitas. n. 2.* An autem & quando literæ Cambii dicantur redire cum protestatione? Et Campsor si non sit protestatus, quid à Campsuario consequi possit? Item protestatione non facta, quod Mandatario oriatur præjudicium? Denique qualis sit formula protestationum

tionum literarum Cambii, *vid. ap. Sigism. Scacc. Tr. de Camb. §. 6. 7. Gl. 2. p. 439. n. 12. & seqq. Matth. Bode. Disp. de Camb. th. 7. & 8. n. 80. & seqq.* Ubi autem Campsores eas acceptare nolunt, scribunt in illarum dorso, quod illas receperint, sed non acceptarint. Quæ Scriptura in dependentibus ab animo & sola voluntate scribentis mercatoris plenè probat. *L. Nefennius. ubi Br. ff. de negot. gest. cum concord.*

§. 4. Sed quid si literæ Cambiales sint amissæ, poterintè repeti pecunia Campsori exsoluta? Dico, quod omninò, aut ad novas literas tradendas, aut reddendam pecuniam remittenti obligatus sit Campsor s. transcribens. Cum enim Epistolâ missâ, antequam mandatario fuit reddita, ejus non sit *arg. l. 59. & l. 6. pr. ff. de A. R. D.* nec effectum suum literæ consequantur, nisi oblata & recepta fuerint, nulla ratio est, quod dantis hoc casu debeat esse periculum, dummodò ille cautione. n præstet de indemnitate, ne fortè si juxta illas literas ab alio repertas solutio fiat, scribens idem bis solvere cogatur. *Petr. de Benintend. decis. Bon. 58. Anton. de Gamm. decis. Lusitan. 336. n. 1. Gail. 2. obs. 37. n. 8. Mascard. de Prob. Concl. 999. n. 3.*

§. 5. Porrò hîc & illud quæritur: Si Cajus transcribat Titio pecuniam, ut illi Amstelodami à Sempronio solvatur; antequam vero Sempronius solvit, Cajus foro cedat, cujus sit pecuniæ periculum? Et responderi solet, quod Sempronius, si literas acceptavit, nec contradixit, cogatur solvere, quia semel eas approbavit, & agnovit se debitorem ejus summæ, quæ istis literas continetur *l. 9. ff. de negot. gest. l. 21. ff. ad Sct. Maced. l. 1. ff. quando sit appelland. Capoll. Conf. 9. n. 1.* Itaq; ad diem in illis expressum obligatus est solvere, & nisi hoc faciat, ad interesse, i. e. damnum emergens, & lucrum cessans, remittenti tenetur.

§. 6. Cæterum num literæ Cambii executionem habeant paratam, ita ut nulla exceptione executio retardari possit, non minus jucunda, quam in foro Mercatorum difficilis quæstio est. Negant eam quæ plurimi, *Bald. videl. Rot. Genov. Cardin. Tusc. concl. 13. Fabius de Anna Conf. §. 2. n. 2. post Vincent. de Franch. Menoch. de arbit. jud. quæst. Lib. 2. Cent. 1. c. 17. Vincent. Hondeda. Conf. 29. n. 2. n. 35. & c.*

§. 7. No-

§. 7. Nobis vero cum Jafone, Bartolo, Cavatio, Crotto, Beroo, Scaccia, Mastrillo, & aliis, affirmativa, ob publicam utilitatem & majorem æquitatem, magis placet: nisi exceptione solutionis vel præscriptionis & doli mali; vel quod non manus illius, qui asseritur scripsisse, ipsa impediri possit. *Marant. Rot. Gen. ac alij velati per Hondede Conf. 29. n. 7. p. 1.* Idq; etiam confirmat novissimus Imperii Recessus de Anno 1654. §. Als auch bey den Handelsstädten in Wechselfachen zu Messezeiten und sonsten Casus vorfallen / da nicht allein nach Kauffmanns gebrauch / sondern auch nach aller Rechts-Gelehrten Meynung die parata Executio stracks Platz haben solle / und innerhalb 24. Stunden oder etlichen wenig Tagen zu geschehen pfieget. So lassen wir es auch / damit die Creditores nicht offerens aus blosser Widerseßigkeit der Debitoren, nicht allein umb die Schuld selbst / sondern auch umb allen Credit, Ehr und Nahrung gebracht werden / darbey dergestalt verbleiben / daß in solchen Wechselfällen dem Richter erster Instantz imbenommen seyn solle / ohngehindert einiger Appellation nach der Sachen Ermässigung entweder mit oder ohne Caution der Glaubigern / die Execution zu vollziehen / und die Debitores zur Schuldigkeit anhalten. *Quæ parata Executio æque contra acceptantem, quam scribentem & remittentem procedit. Mastrill. part. 1. decis. 9. n. 3. & 6.*

§. 8. Exceptio non numeratæ pecuniæ, quamvis de Jure Communi non tantum contra Executionem jam intentatam; sed etiam contra instrumentum liquidum & confessatum validè opponatur *Berlich. P. 1. concl. 84. n. 17. Carpz. Jurispr. For. P. 1. Const. 32. Def. 65.* In Cambiis tamen, quia solutionem retardat, & in longum tempus differt, locum non habet. *Raph. de Turry, d. l. Disp. 2. q. 16. n. 79. & seqq.* Interest enim mercatorum, Cambii pecuniam in promptu habere, ne fides eorum periclitetur. *Bacchor. ad Treutl. P. 2. Disp. 28. th. 5. lit. C. in pr. Carpz. d. Const. Def. 69. & P. 2. Const. 18. Def. 7. n. 9. & Resp. Elect. Lib. 2. tit. 8. Resp. 92. n. 19. & seqq.* Hinc illa verba: Umb den Werth bin ich von ihm begnütiget / simul confessionem & renunciationem hujus Exceptionis non numeratæ pecuniæ in se continent *Scacc. de Camb. Gl. 3. n. 12. cum quo coincidunt Mascard.*

de probat. Concl. 361. n. 4. Zanger. de Except. P. 3. c. 14. n. 54. idq; præjudiciis confirmat Carpz. d. Resp. 92. n. 19.

§. 9. Cæterum & hoc annexendum, quod pecunia Cambialis in concursu Creditorum singulari Jure fruatur. Quod ut tantò melius innotescat, placet hunc in modum statuere, scil. fingamus aliquem pecuniam accepisse ad certum locum transcribendam, eam vero fortè ob transcribentis fidem vel aliud periculum non exsolvi, sed literas ad ipsum remitti, ut loquuntur, cum protestatione (mit protest.) Interea temporis vero in bonis Campforis facultatibus lapsi concursum creditorum exortum esse: Et distinguendum hic erit, num pecunia quam remittens exsolvit, ipsa adhuc inter Campforis bona reperiatur, an verò non: Istò casu omninò potest à remittente repeti & vindicari. Quoniam enim Campfor se facultatibus jam lapsus sentiens vix sine dolo eam accepisse potuit, nullum omninò negotium firmum cum eo contractum fuisse palàm est. *l. 3. ff. de pignor. act.* Ut taceam commune mercatorum placitum; quòd pecunià Cambii pro deposito haberi debeat, cujus certè hæc natura est, ut apud depositarium reperta vindicetur, exclusis omnibus aliis creditoribus. *l. 7. §. 2. depof. l. 8. C. ad exhib. O. P. J. rit. 42. in pr. vers. darumb wenn &c.* Neq; enim deponens amittere potest dominium rei, quam deposuit; add. *Beuth. lib. 1. c. 32. de pralat. cred.* Ubi vero pecunia exsoluta in individuo non amplius apparet, remittens tantum jure creditorum personaliter privilegiatorum gaudet. Nam nec majore jure dignus est deponens, cum quò, ut diximus, hæc in parte conferendus est remittens. *l. 24. §. 2. de Reb. aub. jud. possid.* Id quod egregiò confirmavit præjudiciò Ampliss. *Alma nostra Jctorum Ordo. M. Martio Anno 1647. cujus verba legi possunt ap. Carp. decif. 280. n. 16.*

§. 10. Reliquum nunc est, ut etiam Actionem quæ ex Cambio resultat, paucis perlustremus. Absunt autem Dd. diversi in diversas sententias in exponenda actione, quæ ex literis Cambii competit. *Nicol. de Passerib. lib. 3. de script. priv. q. 5. n. 2.* regulariter putat, pro literis Cambii Actionem Mandati competere, fretus autoritate Bald, *Conf. 348. n. 1. in rubr. C. de consfit. pecun. n. 12.* Verum enim



enim vero quanquam non omnino in ficias iverim, pro varietate circumstantiarum tum eam, tum etiam alias actiones, competere posse, potissimum tamen actionem Præscriptis verbis in Cambiis locum invenire existimo. Quod inter alios egregie defendit *Rudger Rulandus*, pollicem in hac parte undiquaque mihi premens, de *commissar. P. 3. Lib. 7. c. 2. n. 6.* Ubi præterea adjicit, eandem etiam præscriptis verbis Actionem in Camera Imperiali in Cambiis frequentari ac competere, juxta ea, quæ tradit *Bl. in c. 3. §. cum a. n. 1. de invest. controv.* ubi tamen etiam admittit literarum obligationem, & dicit, ex literis illis agi vel actione constitutæ pecunia, vel negotiorum gestorum. *Moller. l. 4. Semestr. 44. Rot. Genov. decis. 7. n. 3. per Bl. in rubr. C. de const. pecun. quibus adde Job. Bapt. Cavatium Tr. de Cambio. c. de action. ferè & Raph. de Turry Tr. de Camb. Disp. 1. q. 10. n. 17.*

§. 11. Hanc quoque actionem expressè dedisse Magistratum Genuesem in suis Statutis de Cambiis & causis brevioribus, eamq; à pluribus etiam Europæ Principibus per leges particulares confirmatam esse, affirmat *idè de Turry d. q. 10. n. 19. & 21. Et Disp. 2. q. 13. n. 9. & q. 16. n. 30. 31. & 32.* quod suo loco relinquo atque interim eam, quam ipse propter Cambia locum habere existimo, cum *Domino Struvio in Syntagm. Jur. Prud. Ciru. Exerc. 25. th. 44.* hunc in modum describo: quod sic actio præscriptis verbis, bonæ fidei, ad persequendum id, quod ex Cambio inito, aut acceptatis literis debetur.

§. 12. Atque hæc ipsa actio vel contra transfantem sive eum, qui pecuniam à Remittente accepit, & alio in loco restituere promisit, effectu non secuto, vel contra acceptantem, sive eum, qui tractam ad se directam suscepit solvendam, id tamen minus præstat, cum executione parata & celerrima datur, *Berous consil. 33. num. 12. libr. 3. Nicol. de Passerib. de script. priv. libr. 3. quest. 6. n. 15. d. tract.* Habent enim Cambia juxta Bartholum & alios Dd. vim sententiæ & rei judicatæ, imò ipsâ sententiâ majorem: Nam in his, ut *Marquardus sæpe à nobis laudatus statuit lib. 2. cap. 12. n. 61. tr. de jure mercatorum.* Post tres statim dies à factâ recognitione peti potest executio. Ast in sententiâ quadrimestres induciæ concedi solent *l. 3. C. de usur. rei judic.*

*judic. Job. Crott. Consil. 190. n. 25. seqq. vel coram Consule & Consiliariis ea fini electis, atqve à magistratu confirmatis, sicut ejusmodi consuetudinem Genuæ receptam esse novimus ex Scacc. §. 2. gl. 4. n. 8. p. 333. de Commerc. & Camb. Vel in proprio mercatorum foro coram Commissariis ac Deputatis styli mercantilis gnaris, ad lites ejusmodi dirimendas à mercatoribus constitutis, prout Francofurti ad Mœnum receptum esse testatur. Vogt. de Camb. th. 9. lit. b. pag. 207.*

§. 13. Cæterum quomodo hæc actio instituta in foro Mercatorum ulterius sit procedendum, brevitate studio cupidum lectori remitto ad *Dn. Marquardum Tract. ejus jam modo adducto lib. 3. c. 8.* Ubi egregie hanc operam præstitit.

§. 14. Coronidis loco illud adhuc annecto, quod in causis Cambiorum tam suspensiva, quam devolutiva denegetur appellatio in Statutis Genuensibus, sicut refert *Sigism. Scacc. d. Tr. §. 8. Gl. un. n. 1. f. 487.* Secus atqve in civitate Bononiensi receptum est, ubi devolutivam admitti idem Autor est *d. loc. n. 1. in fin.* Quod tamen consuetudini totius Italiae repugnat, quippe, quæ omnem alias in causis Cambiorum appellationem reprobat. Cui etiam nostræ Germaniæ placita respondent. Sic enim in nuperrimo Imperii Recessu de Anno 1654. saluberrime sancitum legimus: *Das in Wechseln dem Richter erster Instanz unbenommen seyn soll / ohngehindert einiger Appellation oder Provocation, nach der Sache befind und ertmesung / entweder mit oder ohne Caution der Gläubigern die*

*Execution zu vollziehen.*

TANTUM.

SOLI DEO GLORIA.

**D**iversa placent: Te cura fatigat  
Ire per abstrusas Eunomiæ artis opes  
Dum Tu disquisis, quæ CAMBIA fœnora præbent  
Conatu & magno prælia docta subis.  
Gratulor hos ausus: plus ultra tendere pergas,  
Sic patriæ tandem Cambia larga feres.

L. M. Q. adscr.


PRÆSES.


F I N I S.

X2615893

V077







221. 1668, 17 (17)

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM JURIDICAM

De

**C A M B I O,**

Permissu ac indultu

Magnifici atqve Nobilissimi Jctorum Ordinis

IN ILLUSTRIS PHILUREA

PRAESIDE

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo atqve Consultissimo

**DN. PAULO FRANCISCO**

ROMANO, J.U. Doctore Celeberrimo,

Patrono, Fautore ac Praeceptore suo

maximè colendo,

*Publico examini*

*exhibebit*

d. 23. Januarii. A. O. R. M DC LXVIII.

**AUGUSTINUS CADESREUTERUS, Cizenf.**

Autor & Respondens.

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ

Typis JOHANNIS GEORGII.

*Sc. Paul. Al.*

